



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

Item de prædestinatione. xxx.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

eius aeterna preparatio. Et hic preparationem prædestinationem nominavit. Proinde siue preparationem, seu prædestinationem, in sanctorum dictis positum inuenerimus, vnum idemque significari docemur.

*Item de prædestinatione. Cap. XXIX.*

**H**IS omnibus testimoniis prædestinati ostenduntur, *Ex dictis Ambro.*  
 mali ad poenam, sed non prædestinati ad peccatum. Quoniam eorum quæ facturus est Deus, prædestinator est. Quæ verò nec fecit, nec facturus est, ea non prædestinauit. Quia autem iudicaturus est mundum, & impios iusto supplicio pro iniquitatibus suis damnaturus, propterea & eos prædestinauit ad poenam, & poenam prædestinauit illis. Ad peccatum autem non eos prædestinauit, quoniam non est Deus author iniquitatis. Quonia sicut iustitia, ex Deo est, & omne opus bonum, ita iniquitas & omne opus prauum ex diabolo.

*Item de prædestinatione. Cap. XXX.*

**P**rædestinationis enim nomine non aliqua voluntatis *Ex dictis August.*  
 humanae coactitia necessitas exprimitur. Sed misericors & iusta diuini operis sæpiterna dispositio prædicatur.

*Item de prædestinatione. Cap. XXXI.*

**Q**UIA ergo Deus nulla necessitate compellitur, vt *Ex dictis Isidori.*  
 aliquid nolens promittat. Nullius vtique aduersitatis impeditur obstaculo, quo id quod promisit, aut minus quam vult, aut tardius faciat. Proinde potuit, si cur voluit, prædestinare quosdam ad gloriam, quosdam ad poenam. Sed quos prædestinauit ad gloriam, prædestinauit ad iustitiam. Quos autem prædestinauit ad poenam, non prædestinauit ad culpam. Item paulò inferius. In sanctis igitur coronat Deus iustitiam, quam eis gratis ipse tribuit, gratis seruauit, gratisque perfecit. Iniquos autem condemnauit pro impietate, vel iustitia, quam in eis ipse non fecit. In illis enim opera sua glorificat, in istis autem opera non sua condemnat.

*Item de prædestinatione. Cap. XXXII.*

**F**idelibus congruit credere, & fateri Deum bonum, & *Ex dictis August.*  
 iustum, præcisse quidem peccatores homines: quia ni-